

2

BIBLIOTECA
DE LA
UNIVERSIDAD DE SALAMANCA.
Sala Est. Tab. Núm.



UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

CRÉDITOS USALES

Logarismo

Notas de un
recurso de amparo

de Vitoria, 1903

1903

1903

1903

1903

1903

1903

1903

1903


1903

**MODVS INQVI
RENDI HAERETICOS
AD VSVM ROMA-
nae curiae lectu dignis-
simus. Duodecim
regulis cōclusus.**

u. Frate Loquemo

Cum earum sum-
marijs in fine.

1519



Reuerendiss. In Christo patribus Siluestro Prierati. Sacre Theologiae Magistro Celeberr. Sacriq; Apostolici pallacii Magistro Sacriq; ordinis Predicatoru professori & per Italiam haeretice prauitatis, Et Iacobo hochstrato, eiusdem Sacre Theologiae Magistro celeberr. eiusdem sacri ordinis profess. & per Germaniam eiusdem Haeretice prauitatis inquisitoribus patribus suis multu metuendis Frater Logumenus eiusdem ordinis & facultatis humilis professor Salutem.

Quoniam nunc nostro tempore, quo refrigescit charitas (Reuerendissimi patres) & abundat iniquitas multa pululant haeretice prauitatis semina. Quae licet, R. p. nostri magno fauore satagunt & zelant extirpare ne Zizania simul cum tritico crescat: cum mundus est ita malus q; vos in sancto opere isto contemnunt atq; quasi irrident, & dicunt inquisitores haeretice prauitatis, nec scientia, nec modum nosse, inquirendi quod est abominabile audiri. Ideo ego accensus zelo veritatis: coactus sum scribere artem & modum inquirendi. Non q; volo vos docere cum scatis omnia melius q; ego. Sed vt videant illi Indocti asini q; multo meliora possint magistri nostri alij: pferunt vos duo Luminaria magna in ordine nostro. cum videant me humilem & minimu inter Sacre Theologiae pfectores hanc artem tam bene nosse, vt etiam eam describere potuerim. Quia scdm Aristotelem Signu sciens est posse docere. Ideo hanc artem a me compilatam vestris pedibus offero & rogo, si quo loco erraui emendetis & in oam terram per impressuram mittatis, Vt videant & sciant quoniam sunt apud nos multi qui possunt mirabilia scribere Sed causa humilitatis volunt potius latere. Bene valete optimi patres.

Incipit Tractatus quidam solemniss de arte & modo inquirendi & damnandi hereticos scdm consuetudinem Romanae Curiae compositus per quendam eximiu Sacre Theologiae dictu pfectorem.

Quoniam omne multiplex indistinctu necessario parit confu-

sionem. & erroris mater est equiuocatio semp idcirco vt istam artem distinctius & subtilius & facilius possim enucleare volo ipsa per regulas quasdam determinare, faciles & facilliter memorabiles: propter vitandum studendi laborem.

Prima.

Ante omnia inuocandus est spiritus sanctus, & orandu deuote pro gratia dei. Vt actus ille inquirendi, incipiat proficiat, & perficiatur non ex vana gloria, nec ppter vanam gloria, nec propter pecuniam Sed ex amore dei & zelo veritatis. Propter gloria dei. Maxime aut propter honorem Sancte sedis Apostolice & pacem Ecclesie Catholice ad supprimendos errores & ad sedanda scandala & turbationes fidelium christi cauendas.

Secunda

Ista intentione bona formata, quam impossibile est non placere deo, cum sit sanctissima & sincerissima, etiam merito condigni meritoria aeternae vite, oportet firmiter credere & tanq; certissimu ac primu huius artis principiu praesupponere de qua nullatenus liceat dubitare: Quia papam errare est impossibile: Sed quicquid dixerit, Voluerit, fecerit, hoc tanq; vocem & factu petri: seu potius ipsius Christi met oportet acceptare. Quia si quis in hoc vellet dubitare aut rationem quaerere: ille iam de facto no inquisitor esset, sed inquirendus tanq; certissime haeticus: Quia dubitare & non credere pro eodem accipiunt scdm Aristotelem, secundo physicorum. Quod parum distat & c. vt notu est. Et quia sicut ianua in cardine voluitur, ita tota ista ars in hac scda regula iacet Ideo necessariu & bonum puto (licet extra ordinarie) ipsam inexpugnabiliter fortificare. Et primo sic. Nisi esset vera & certa ista regula nullus posset inquireri aut iudicari aut condemnari in sancta Romana Ecclesia, quod est absurdissimu. Consequentia nota, Sed antecedens probatur duabus rationibus inuictis, Prima. Quia papa est lex animata & viua in terris, Nam in hac bene licet conformari principem Ecclesie: Huic saeculo: in quo princeps est imperator lex viua nec obstat: q; imperator in temporalibus & papa in spiritualibus pfect, q; sunt inuicem figura & figuratu. Sed ablata aut dubitata lege: iam nihil certu posset scdm eam iudicari aut fieri. Ideo oportet esse certissimu papam non errare. Scda ratio est, Quia haere-

A ij



tici solent se per sacram scripturā defendere, Sed illa est lex mortua & litera occidēs: & potest in multas falsas sententias trahi: sicut patet in multis Magistris nostris: p̄sertim Hugone nostri ordinis Cardinale: Et sic hæreticus fieret anguilla. Confirmatur ista ratio. Quia hinc iuristæ recte dicunt. Quia papa sit Ecclesia, iuxta illud Mathei. 18. Si te non audierit dic ecclesie (.i. prælato) Si ecclesiam (.i. prælatum) non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Modo papa est prælatus prælatorū, & per consequens, Ecclesia Ecclesiarū, tenet consequentia, ab eodem ad idem per diffinitionē vniuocorū. Scd̄o probat ista regula irrefragabiliter. Quia si papa posset errare, tunc etiam Ecclesia posset errare cum sit primū & summū Ecclesie membrū. Si autē ecclesia posset errare tunc etiam Christus posset errare, cum sit vna caro & vnū corpus cum Ecclesia iuxta Paulū. Erūt duo in carne vna Si autē Christus posset errare, etiam deus posset errare quod est impossibile cum Christus sit deus. Et sic patet regula verissima. Sed hic sunt aliqua argumenta videnda Primū dicunt q̄ Ecclesia non possit significare prælatum ex natura vocabuli. Quia ecclesia græca dictio est, & significat idem quod conuocatio vel congregatio. Sed prælatus non est congregatio ergo. Respondetur hoc est vnū grāmaticū argumentum & multū suspectū & hoc duobus modis. Primo, quia ex græca grāmatica arguit. Sed græci sunt hæretici & schismatici, ideo non est eis credendū in sua grāmatica. Scd̄o q̄ videtur synagogam ex ecclesia facere. Nam synagogam dicunt etiā significare conuentū & congregationem. Ergo probabile est: q̄ Ecclesia nō congregationem sicut synagoga. Sed prælātū significet. Sed dicūt contra. Si accipitur a græcis. Vocabulū synagoga cur repudiant in vocabulo Ecclesia & similibus. Item q̄ in nullo passu noui testamenti Ecclia pro plato potest accipi, vt credo Ecclesiam sanctā Catholicam. Item illud Super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam Respondetur Non credo Synagogā esse græcum notū. Quia synagoga fuit apud hebræos tantū & non apud græcos. Ideo hebraicum potius notum est. Nec nocet q̄ Ecclesia accipitur pro plato, aliq̄n pro populo cuius est prælatus, & scd̄m hoc oportet scripturas distincte & magistraliter intelligere Scd̄o arguitur. Quō papa non potest errare cum tamen Sanctus Petrus errauit. Vt in Euā-

gelio q̄n dominus eum Satanā vocauit. Respondetur hoc est vna frauca & brocardicum argumentū. Nam tunc temporis nondum acceperat spiritum sanctum. licet fuisset in gratia. Quia potest aliquis bene esse in gratia, non habendo spiritū sanctū, vt alias habet videri per magistros nostros. Si autē replicatur, tamen Paulus reprehendit eum post spiritus sancti missionem ad Gal. 2. Respondetur, hoc fuit veniale peccatū & quædam simulatio ac dispensatio pię fraudis. Si iterum dicis. Non videtur S. Paulus pro veniali peccato & tam leui re tantū festum fecisse nisi fuisset periculū animarū ibi. Nam ipse dicit Euangelij veritatem sibi fuisse obmissam hoc autē est Christum negare & infideliter peccare, Respondetur Sancti primitiue Ecclesie fuerunt feruentes, ideo parua pctā tanq̄ maxima reprehendebāt, Et q̄ nos hodie hæreticos cōburimus & occidimus: ipsi homicidiū reputassent, Sed excessiue loquuti essent, cum tamen nostro tempore (si recta sit intentio) non solū sine peccato sit sed etiam cum magno merito. Sic reddere debitū matris monij non sine peccato fieri, illi dixissent excessiue loquentes cum Psal. 50. Ecce em̄ in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis cōcepit me mater mea. Sed nostro tempore cum merito fieri potest & est opus iusticie. Tertio arguitur. Cur ergo sancti patres suo tempore hæreticos per scripturas & per verbū dei expugnauerūt & exemplū nobis sic faciendi reliquerunt. Respondetur hic alia est ratio temporis. Nam tunc ecclesia nondum fuit firmata: nec fides satis roborata. ideo necesse fuit per scripturas cum eis pugnare. Nunc autē oportet de firmata fide eos examinari, ideo multo facilius est modus inquirendi q̄ tunc fuit. Quia illorum modus describi & in artem redigi non potuit nisi totam scripturā aliquis intellexisset. Sed hodie periculosū est cum hæreticis, in Biblia pugnare. Quia ipsi fecerunt Bibliam suspectam q̄ a multis vocatur liber hæreticorū, ideo alijs libris & modis agendum est.

Tertia Regula

¶ Necesse est summe vt inquisitor ipse quoq̄ certus sit: se nō posse errare in hoc actu, Nec debet inquirere quod velit aliquid discere vel audire: sed tantū docere & audiri, Alioquin non esset inquisitor, sed discipulus hæreticorū nec certus esset, quid agere vellet cū hæreticis, ideo oportet certā præconcipere conclusionem quā in-

A iij



tendat. Potest autē certus fieri ex tribus. Primo ex intentione formata iuxta regulam primā. Scđo ex mente Papę inerrabili a qua suscepit officiū & causam inquisitionis iuxta regulam secundam. Tertio ex doctrina sancti Thomę: quę sola est igne spiritus sancti examinata & purgata & summi philosophorū principis Aristotelis, sententijs decorata. Nam impossibile est quod intentio illa erret. multominus possibile quod papa erret in sua cōmissione maxime impossibile quod doctrina sancti Thomę erret. In qua si non bene esset fundatus inquisitor: nō esset dignus officio isto pulcherrimo & titulo gloriosissimo. Quia si solam Bibliam sciret cito hęreticus eum posset illudere per multiplicatam expositionis, ideo certam oportet & quę est sine quęstionibus sine opinionibus: sine distinctionibus multiplicatis habere Theologiā. Hęc est doctrina sancti Thomę, Mens papę: & bona intentio inquisitoris.

Quarta Regula

¶ Quando pro Tribunalis sedet: tunc debet protestari quod solū deū ante oculos habeat: sic tamen ut aliquis spissus paries, vel murus ferreus inter oculos & deū sit ne offendatur oculi eius iuxta illud Qui scrutator est maiestatis opprimetur a gloria, ut sic possit cum sponsa dicere. Ecce ipse stat post parietē. Hūc autē parietē intelligo quod sit aliqua pia intentio in corde inquisitoris. Quę est, ut sit solidus pro confusione ordinis tollenda & gloria exaltanda. & nō intendat ab actu desistere. Donec hęreticus confusibiliter sit cōbustus ut sic in domino gloriari possit, quod Ecclesiā defenderit.

Quinta Regula

¶ Sic itaque armatus armatura dei inuadat diabolicos homines cū psal. dicens tabescere me fecit zelus meus. Et iterum pfecto odio oderā illos. Et nihil noceret si vocem aliquam exasperaret: sicut solent inuidi facere: aut melius, p cauendo speciem inuidię, caput cum risu amariuscule (velut canes dentes nudando solent) fiducia liter moueret ut sic diabolus terreretur: & hęreticus ipse primo aspectu perditū secum putaret. Nam oportet inquisitorem scđm Apostolum, cum omni patientia & modestia, omnia experiri, si possit animā lucrari deo. Post hoc prolati digitis denumeret sibi de digito in digitū articulos quos hęreticus iuxta mentem Papę debet acceptare: simul aliquid terribile insonans de igne & dicat, Credis

hoc vel nō? Si credis omnia tua reuocabis, si non cōbureris. Et in fine horū verborū debet os torquere & faciem ad circūstantes vertere, & labia porrigere & manū vtrāque sparsis digitis iactare. Non obliuiscatur nasum rugare & omnino se disponere in facie sicut esset terribilis larua in Carnis priuio, in confusione hęretici: ut circūstantes dicere possint. O quod male stat iste hęreticus, & quod solenniter & legaliter se expedit iste inquisitor. Si autē hęreticus voluerit respondere & allegare sacram scripturam vel sanctum doctorem, pro hoc tene hanc

Regulam Sextam

¶ Tunc dicendū est ei: cum leui quodā Cachinno Ach dilecte dñe Nō est hic tempus litigandi & disputandi sed simpliciter rñdendi. An credis in sanctā Ecclesiam Catholicā. Dimitte doctores Doctores esse. Ecclesiā audire necesse est. Illi possunt errare. Ecclesia non potest errare. Et sic fortiter est molestandus per regulā scđam & semp aliquis risus fiducialis intermiscendus. Et facies vertenda ad circūstantes ut ipsi corrideant inquisitori: & irrideant hęreticum sicut Herodis familia Christū: sic tamen ut non fiat indecens Cachinnus. Nam oportet hanc rem, cum maturitate multa, cū grauitate summa, & suauitate in spiritu sancto tractare. Nec leuiter debet ridere inquisitor: nisi cum hęreticus scripturā sanctā allegat. Nam tunc oportet hęretici intelligentiā magis ridendo despiciere quod respondendo soluere: ne forte trahatur inquisitor, in expositionem sacre scripture ex qua non possit redire sine confusione: ppter astutiam hęretice prauitatis, quę valde prompta est in Biblia. Si autem coeperit hęreticus alte clamare. & doctores cum scripturis iactare, sese rationē reddere suę sententię petere, doceri & solui suas rationes & autoritates, tunc oportet cum magna diligentia videre, ne circūstantes ista diutius audiant, ne ad misericordiā moueantur & hęreticū habere iustam causam credant. Quare hic ne tumultus fiat in populo: summa necessaria est vna bona cautela quę traditur hac regula

Septima

¶ Sed ut multo magis clametur, ac tumultus aliquis vel pedū strepitus excitetur, sicut iudei fecerunt quā S. Stephanū voluerunt opprimere, ne audiretur, Nam etiam furor pro Ecclesia dei merito



rius est, maxime si ex predicta intentione procedit Simul quoque iuxta Aristotelem in elenchis multis quaestionibus vexetur, ut in diuersa distractus & in diuersos intentus aliquid dicat quo capiat. Quia oportet diabolū suis aliquā artibus fallere ut canitur in hymno Crux fidelis. Ars ut artem falleret. Nec est necesse semper in digito dei eijcere demonia, Sed malū malo pellere: per dispensationem Euangelij interpretationem. Quia inquisitor debet sperare quod haereticus comburetur ne cum confusione cesset ab officio. Bonū quod esset si ista non iuuarent, quod mandaret silentiū sub poena excommunicationis, ut sic cum bona modestia: inquisitor posset omnibus audientibus dicere & se resolvere. Quod non intendit nisi salutem miserū haeretici, & bene esset contentus, quod suos doctores allegaret si primo responderet, an in Ecclesia crederet. Quia quid profunt doctores qui sunt pars Ecclesie si in totā Ecclesia non credat. (quae est mens papae & intentio haereticorum Magistrorum) ut sic populus notet illū vere esse haereticū. quia Ecclesiam non vult audire. Et inquisitores esse iustos in suo proposito, quia honorem Ecclesie & fidei sinceritatem tam legaliter & zelose quaerunt.

Octaua

¶ Sollicitissime puidendū est ut inquisitores sint de ordine sanctis. Praedicatorū. Quia illi habent magnam gratiā apud populū & antequam famā quod sint docti & zelosi pro Ecclesia sancta & Apostolica fede. Ideo facilius possunt suspicionem populo facere contra haereticum quam alij quicumque. Etiam ideo quia postquam ipsi multas & magnas pertulerunt propter zelum & scientiā suam, confusiones, eo fidelius & diligentius laborant ut alij magis confundantur ut ipsi hoc modo suam ignomiā alienae ignominiae consortio solent iuxta illud Gaudium est miseris socios habere poenarū. Et illud Petri Scito te easdem passiones & fraternitati vestrae quae in mundo est fieri.

Nona Regula

¶ Solicitandum est omnibus modis, ut ante, intra & post actū istū mittantur diuersi fratres discreti, in diuersas partes maxime ad principes & seniores plebis qui (sine detractionibus & mendacijs) perscrutentur hunc haereticū nolle audire Ecclesiam Catholicā, & hanc culpam multū dilatent magnificent & multiplicent, ac pertinaciam haeretici summis studijs, accusent detestentur. Etiam spuant in terrā

dicentes, Phi/Phu, quod ista scandala permittunt in Ecclesia regnare, in blasphemiam diuinae maiestatis, & in diminutionem potestatis Ecclesie, & fidei Catholice, & ad iniuriam Sacrae Theologiae, praesertim doctrinae sancti Thomae & opinionum suarū. Iurent etiam ac manibus & pedibus loquantur. Sicut sapientes solent Ecclesi. 30. ut sic principes prouocent ad indignationem pro inquisitoribus: vere dicunt quod omnia legaliter & zelose faciunt: quanta modestia & caritate haereticū: orent, fleant, agunt, omnia quae tentent sed frustra. Expediret etiam multū: si in praedicationibus in Ecclesijs hinc inde populus similiter irritaretur, & magnis miserationibus super haereticū, pro, s. Ecclesia & fauore inquisitoris concitaretur. Ne postea murmur in populo relinqueretur (sicut sepius factū est) Non fuisse haereticum sed iniuriam ei factam. Quia hinc venit quod ista regula neglecta fuit quod vsque hodie multi aperte dicunt & scribunt Ioannem Hufi & Hieronimū de praga fuisse nec couictos nec iuste combustos. Et perantali argumento ut nuper a quodam haeretico audiui in Bohemia: quod postquam illi sunt combusti, ignis velut ultor iniuriae: disponente deo in neminem atrocius sequitur quam in ordinem praedicatorū: ex ipso enim fuerunt illi inquisitores, qui eos combusserunt, & allegauit illud sapientis. Per quae quis peccat per haec & punitur. Necesse verisimile eos fuisse vere haereticos. quia nouo supplicij genere, quod haereticis nunc sed saepe Catholicis, deo volente illatum est, occisi sunt Verū stulti sunt illi, non intelligunt quod illis facta est iusticia, quia noluerunt Ecclesiam audire. Nostris autem fratribus facta est iniuria, quia voluerunt audire & audierunt Ecclesiam (ut superius accepta est) & non fuerunt admissi: ideo in caelo sine dubio coruscant in ditione martyrio. Et combustores eorum, quia contra Ecclesiam egerunt: ardebunt in inferno. De quo latius vnū librum dabo: quo obstruam os loquentium iniqua, quem pro honore sanctae Ecclesie & zelo fidei iam compilo.

Decima Regula

¶ Est vna singularis & specialis, quam adhuc nullus tetigit qui de hac arte scripsit, quantum ego legere potui, quam ego multo labore & experientia inueni & est multū subtilis. Sed ista. Quod quia nunc multi surgunt qui antiquiores Doctores legunt & sanctū Thomā contemnunt & inuenire se dicunt, quod nos vocabulū Ecclesie sanctae

B



nostris opinionibus & affectibus non aliter pretextimus quam olim pseudo prophetae, nomen domini suis mendacijs pretextuerunt, multosque prophetarum sanctissimos occiderunt & populum seduxerunt, Sic & nos sub nomine Ecclesie dicunt nostra mendacia quaerere & non haereticorum exultores, sed sanctorum dei persecutores criminant, nihil de Ecclesia sancta nisi titulum nos habere & speciem (ut apostolus ait) pietatis virtutem eius abnegantes, Nec hoc satis, dicunt nos vere esse magistros haereticorum, quia haeretici sumus & haeticos faciamus. Et vere inquisitores haereticae prauitatis, quia inquiramus ut inueniamus eam simul inquisitores & inuentores haereseon per inquisitoribus veritatis nos culpantes. Et heu insanissimi homines, hanc sententiam quasi cunctis principibus & laicis (quia incipiunt valde docti fieri) persuaserunt, ut nos per seductores populi homicidis fidelium christi passim iactitent & plane pro antichristi apostolis habeant. Et dicunt se hoc colligere, ex eo fundamento, quod non sacra scripturam nec sanctos patres, Sed Aristotelem & opiniones nostras solum doceamus, quibus antichristus utetur ut putant. O saecula. O mores bone deus, Quid hic dicam, etiam in sancta Romana Ecclesia blasphemias sunt quae aristotelis studium & sanctum Thomam in suis opinionibus approbavit & multum commendavit, ut nota sunt Urbani papae verba. Idcirco in isto actu, non est similis punctus sicut iste. Quare per exequenda nona regula, mittendi sunt doctissimi & prudentissimi fratres, qui sciant persuadere hominibus quod inquisitores non solum nomen Ecclesie, Sed vere Ecclesie rem ipsam quaerant. Et non esse inquisitores haereticae prauitatis ut eam inueniant. Sed ut opprimant & perdat. Et utile est, ubi non sufficiunt fratres, qui sic mittant, quod littere scribant in omnem terram, & persuadeant sicut dixi. Verum quomodo persuadeant alio tempore scribam: iam non occurrit aliud nisi ut iurent ad omnes sanctos & in conscientiam suam peccatus de uote percutiendo, se vere Ecclesiam sanctam intendere, & non nudum nomen nequicijs suis praetendere.

Vndecima Regula

¶ Quidquid fiat aut non fiat hoc nimis praeter omnibus curandum est, ne haereticus permittat aliquid respondere, nec examine in ullo puncto nisi prius permittat Ecclesiam sanctam sequi. Et in hoc habeat respectus ad consuetudinem Romanae Curiae quae est mater & magistra ecclesiarum

desiarum etiam domina terrarum iuxta illud christi Gentes dominantur eorum. Vos autem non sic &c. quia semper ita solet facere. Nam comburit, aut in Tyberim praecipit: aut alias occidit: quicumque non vult sequi sanctam Ecclesiam dei & apostolicam sedem: non attento quod volunt stare iudicio: aut rationem reddere. Non tamen in hoc est homicida & cruentus tyrannus, nisi secundum opinionem quorundam fatuorum: quod scripturas sanctas per caput proprium intelligendo per decisionem. Ro. Curiae negligunt exponere. Oportet enim sanctam Ecclesiam auctoritative procedere & non cuiuslibet rationem sui facti reddere: quia satis est: quod ipsa habet rationes eam mouentes: cum spiritus sanctus non deserat eam. Et iuste quidem ac recte. Quia si sic admitterent: citius conuincerent papam & sanctam Ecclesiam errare: quod ipsi conuincerent non propter veritatem: quam non habent. Sed propter multiloquiū & astutiam suam: cui non potest ita resistere spiritus sanctus hodie: sicut fecit tempore, S. Stephani. Nam alia est nunc ratio temporis, ut saepe dixi. Ideo vtilissimum est ut occidantur antequam audiantur. Non enim dignus est audiri, qui non vult audire, quia oportet esse discipulum antequam magistrum. Et prius audire quam audiri sicut Aristoteles docuit.

Duodecima Regula

¶ Si autem per gratiam dei audierit haereticus, & Ecclesiam sanctam sequi promiserit, tunc mox imponat eis reuocatio: nec est tunc necesse ad sua delicta respondere: aut rationes soluere, ne forte cogat inquisitor ad sanctam scripturam venire: in qua timendum est iterum succumberet. Sed sufficit simpliciter dicere, sancta Ecclesia sic determinauit: & sedes Apostolica sic vult. Et sic victus est haereticus & anima lucrata deo & benedicatur deus, & laudet sanctus ordo perdatorem: qui tam legales inquisitores enutriuit. Tunc imponendum est haeretico: ut suos ipse libros comburat, & ignem foueat sicut Isaac, ligna pro seipso portauit: non in confusionem quidem haeretici, Sed ut inquisitor iuxta cum gloria sedere possit & in conspectu circumstantium, haereticum omnibus ostendere victum. Quia iam victo, debet aliqualem compassionem facere & non nimis insultare & irridere miserum: nisi ubi discretionis suae visum est. Si autem noluerit & omnino pertinaciter perseuerauerit: tunc iuxta Apostolum, Auferte malum de medio vestri (in quo apostolus licet non comburere iusserit, tamen occidere precepit per dispensationem precepti dei) tradatur foro saeculari & comburat, sicut est moris atque stili romanorum

nec pro eo oretur, nec mors eius comendet, sed sit nomen eius maledictum, & oia que dixit & scripsit, & fecit. Tunc inquisitores habebunt intentum finem suum, Sed magna gloriam apud deum & homines & gaudere possunt in corde suo. Ex oibus predictis sequitur unum notabile Correlativum. Hoc est hoc. Quod isti quatuor fratres predicatorum in Berna sunt inique combusti, quia fuerunt examinati de puncto ad punctum & sic defecerunt, si autem primo fuissent interrogati (sicut debuerunt) & solum hoc quesitum, an crederent in sanctam Ecclesiam, bene fuissent liberati. Quia iam sanctissimus D. Papa decreverat (non accepta pecunia ut multi loquuntur) eos liberare, quia Ecclesiam sanctam confitebantur, ergo nihil contra ecclesiam egerunt, quare non fuerunt heretici. Sed helvetii isti schuicerii: quia bellare tantum sciunt, artem autem ingrediendi nunquam studuerunt: ideo non mirum quod oia puererunt, & iniuriam eis fecerunt. Et meo iudicio heresim commiserunt: quod combusserunt eos, quia Ecclesiam sanctam confitebantur. At illi Boemi Ioannes huss & Hieronimus de praga recte & artificialiter fuerunt examinati quia non per sanctam scripturam fuerunt convicti, sed per determinationem sancte Romanae dante, quia ut super dixi, Romana ecclesia est regula fidei, Magistra ecclesiarum, domina terrarum. Ideo quidquid dixerit, articulus fidei est: non obstante, quod aliquando erravit. Nam regula fidei potest bene errare venialiter, sicut sanctus Petrus ad Gal. 2. Sed & Ioannes Reuchlin si promississent principes in quibus de articulo fidei in Ecclesiam sanctam: non tantum libri sui sed ipse quoque fuisset combustus. In quo maximam gloriam inquisitores fuissent consecuti: quod talem virum, tam doctum combussissent. Quia spiritus combustores sunt doctores combustis, ut patet in coquo & lignis quae ipse comburit. Nunc autem quia de articulo in articulum per scripturas & rationes fuit examinatus: non est mirum quod cum gloria fuit liberatus. Quia ars inquirendi non fuit cum eo servata: est enim impossibile: quod hodie aliquis convincatur hereticus, si articuli eius examinentur ad sanctam scripturam, Sed si examinentur ad sanctam Ecclesiam, hic non est possibile quod evadat. Tales sunt hodie quidam novi heretici, qui ex graeca lingua (quae spiritus fuit haeretica & schismatica) novam & haeticam Theologiam adducunt, contra sanctum Thomam Quos spero examinandos esse secundum practicam huius artis & erit per haec gloria inquisitorum, & totius ordinis, maior, quod tot & tantos combusserunt, quam fuit unquam confusio quod ipsi sunt combusti, det deus cum salute & cito Amen. In fine est una brocardica questio, quae

Nota quod graeca lingua ac ipsa graeca semper fuit heretica
et schismatica. nam quia illa avrig subeligi poterit quod anti-
tignum et nobeli hereticum qui illas doctores et sequuntur

hinc inde a multis ventilat. Et est ista. Quomodo sancta ecclesia iam plusquam mille trecentis annis optime recta est ut nullos occiderit aut combusserit usque ad Concilium Constantiam, & nunc regno potest nisi comburendo haeticos: cum tamen illo tempore innumerabiles fuerunt in Ecclesia heretici, Nunc autem non illi exceptis forte Boemis, Aut Magistris quibusdam haeticorum quos ita vocant. Maxime cum propheta Isaias. c. 11. & 65. dicat de Ecclesia christi, Non nocebunt neque occident in uniuerso monte sancto meo. Rursum dicitur Miror tam indoctos homines esse: qui ista quaerunt, satis patet. Quod nihil in sancto Thoma studuerunt. Dico ergo, quod solutio breuis est ista. Quod tunc non fuerunt inquisitores haeticae prauitatis. Si enim tunc fuissent, tunc Ecclesia bene purgata fuisset ab haeticis per ignis ardorem, Sicut enim veritas crescit pro tempore & plus reuelat. sic & purgatio Ecclesiae crescit. Nam tunc temporibus quando in sacra scriptura studebant, non fiebant tam subtilia ingenia, quia non habebant curam de Aristotele, qui facit valde subtilia ingenia. Quare ego credo, si sanctus Hieronymus & Augustinus hodie venirent, aut etiam ipse Apostolus Paulus, vix evaderent ignem: tam excellentes sunt inquisitores ingenii. Quod intelligo ex vno facto nouissimo, Quia si potuerunt inuenire quod Ioannes Reuchlin esset hereticus: quia dixit humanitatem christi comparari posse habitui laicali & meretricio, Quomodo effugere potuisset Apostolus Paulus, qui non humanitatem christi, Sed ipsum christum filium dei dicit non modo velatum maledicto & peccato, sed maledictum & peccatum factum ab ipso deo meo, Bene tibi Paule, quod vixisti illo tempore, quando non erant subtilia ista ingenia. Quare quisque consideret temporibus rationem & subtilitatem ingeniorum, & cito soluet omnes quaestiones. Hanc igitur artem a me comportata. secundum paupertatem doctrine & infocunditatem stili, bono & leto animo suscipite, qua possitis. Pro honore sanctae Romanae Ecclesiae, & zelo veritatis Curialis, ad laudem & gloriam ordinis nostri omnes haeticos funditus extirpare & foeliciter triumphare. Et hoc, ad introducendam consuetudinem. Pro sancta Romana Curia, qua ei liceat quos volet impune occidere & damnare, per dispensationem & reprobationem omnium legum dei. Valete bene, in veritate quam quaeritis & diligitis Amen. 1. 5. 19.



per vtrum & contra Theologicę cultoribus. S. D.

NE latinisq; non dico poetę solū verū etiam antiquos doctores nūc legentes trepident. qđ magister noster Logumenustam altū epithetum siue, vt dicitur titulum assignet Epalem, adde etiā (nam fingere licet actū siue pati scđm magistrū villadelensem) Cardinalatū licet tñ conuenientem humiliſſimis & minimis in sacra scriptura p̄fessoribus, & ap̄licis, hoc est Romane Curie ne intelligas scđm ap̄lm idest Paulū inquisitoribus. volui nō ad illorū confusionem, put cōmuniter sed ad ex pia mentis affectione eruditionē verba quaedā ex quodā sermone satis latino & græco hinc inde p̄mixto cuiusdā Bononiensis p̄ parte Theologi meo videre magis tñ pulchre latinizantis q̄ disputantis, fortiter viriliter, bene, & male supponere vt ex illis discant etiam longe & multo altissimos horū existerē titulos, & hoc per subintellectionē sunt aut hęc verba sermone duodecimo eius sūpta put de verbo ad verbū sequūt. Quid qđ fraterculi cucullati n̄s gaudēt blādicijs q̄tiens qs eos salutās dicit, Saluete patres reuerēdi rogamus paternitatem vestrā & sanctitatē, vt nos audire velit. Et cū res diuinas agūt palliati seu clamydati ante aras altātes & manu adolescentis clerici thuribulū accipientes si adolescēs manū osculat o q̄ letant, quāta afficiunt voluptate, nec nō cū thuribulū reddūt & ille derisus iterū osculat sacerdotis manū leticia & voluptas geminant & ille bonus adolescens arbitrat se manū sanctā osculari, q̄ fortasse nocte p̄cedenti aliud tetigit thuribulū. Licet tñ minime me latet qđ hęc verba per ironiā quali oēs intelligunt. Hoc tñ potest esse verū scđm libros impressos, tñ prout in originali stat aliter. Qua p̄pter potest apte retorqueri hęc intelligentia ad p̄positū nostrū per cōmunē magistrorū nostrorū vsum & etiā grāmaticalem figurā, q̄ nescio nūc vt græce vocat forte baptisabo eā suo noie in p̄currendo sententias scđm cortesium vbi est magnus & multus locus atq; murmur datus latinisandi, vtinā frater Cono supuixisset qui potuisset sine labore & grādi fatiga illū glosasse, quē tñ magistri n̄t libenter viderunt mori, qđ nescio qualem tumultū timebāt a quo tamen post mortem eius, vt semel audeo dicere in vera veritate nō fuerūt vsq; quaq; liberati vt patet intuentibus plurimos tractatulos interim in mundū productos, spero tñ in deū indistincte qđ in

spirante diuina sua clementia sequentes ij solēnissimi tractatus regulas & doctrinas salutare breui trahent colla sua ex capistris equorū siue mulorū, qbus scđm puerbiū nō est intellectus. Tamen de n̄s volo in presentiarū aliqd cathedraliter determinare quia nondū sum magistraliter byrretatus post qđ brauiū adhuc in stadio curro post qđ aut illud metatus fuero altioribus me intromittā, nec habeo tam malū nasū, qđ nunc nō olfaciā qđ hic magister noster q̄tum cunq; sit illuminati intellectus potuisset scđm modernos, quibus gaudiū est breuitas, cōpilasle insignem illā materiā in. X. regulas vt vnaq; correspondisset vni decem p̄ceptorū in diuinis, sicut vna dierū in postilla quā ponemus sup has regulas dicā latius. Nunc dūtaxat satis erit ponere regularū iūmariū, qđ p̄p̄rissime p̄p̄riū est cursoris p̄ Theologiā decisio nāq; scitis oēs pertinet radicaliter ad illuminatos magistros nostros, etiā si latinisantes dicāt eos ambulare in tenebris & sedituros etiā in vmbra mortis, quousq; illucescat eis salus gentiū hoc est gentiliū, idest literarū græcarū & abusu siue hebraicarū, quod iudei scisso velo abiuerunt post gentes. Sed iam hinc ad summariū transeamus.

Summarium Regularum huius Tractatus.

- 1 Orandum est vt actus inquirendi incipiat, p̄ficiat, & perficiat.
 - 2 Papam errare est impossibile rationibus nouis oimq; fortissimis
 - 3 Oportet inquisitorem esse certum se non posse errare
 - 4 Docet hæreticum confusibiliter comburendum
 - 5 Inquisitoris est se exasperare.
 - 6 Doctores sunt dimittendi esse doctores
 - 7 Curandum est inquisitori, quod hæreticus comburatur ne cum confusione cesser ab officio.
 - 8 Præstat inquisitorem esse ex ordine sanctissimorum prædicatorum.
 - 9 Enitendū est inquisitoribus vt permissos in diuersas partes fratres suos principes prouocent ad indignationem contra miserum inquisitum. Fratribusq; ad Aram combustis iniuriam factam
 - 10 Multos nūc legere antiquos doctores & p̄bare inquisitores vere esse magistros hæreticorū, quia hæretici sint, & hæreticos faciant.
 - 11 Hæreticū nō admittendū esse ad r̄ndendum nisi prius p̄mittat ecclesiam sanctā sequi, habendūq; in eo respectū ad consuetudinē Romane Curie, quę est mater & magistra ecclesiarū, & domina terrarū.
 - 12 Fugienda est inquisitori sc̄ta scriptura. Hæreticū cōburendū eiusq; mortem nō esse cōmendandā neq; p̄ eo orandū. Inibiq; de Ioanne Reuchlin, Cōbustoresq; esse doctiores cōbustis, Cūq; sc̄tis Hieronymo & Augustino diuū Paulū (si hodie venirent) vix ignem euasuros.
- Ita se nostri sæculi mores habent.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

